



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Animi domitor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

ANIMI DOMITOR.

A quo nomine etiam Terram ipsam dici alibi comprobavimus, & Legiferam ubique Cererem apud Poetas appellari comperias, ut ab iustitia nuncupatione: neque hoc quidem alienum videatur, & cum Tellure iustissima consensum habeat. Hinc apud Maronem prospero terræ subjuganda omine Aenea puppis: <sup>a</sup>

*Prima tenei vestro Phrygios subjucla Leones.*

Veluti etiam hominem insidentem Leoni nonnunquam videas, quem is stimulo regat, quod esse sui animi regem omnino videtur significare: neque enim Aeneium illud ad sacra tantum patria refertur, quæ in Cybeles honorem fieri solita: neque solum respicit beneficium, quod, ut additum est, tuerit



a *Æn. l. 10.*

b *Æneid. 10.  
Leoni duplex natura*

B *Ida<sup>b</sup> profugus gratissima Teucris.*  
Subjiciuntur vero Leones Magnæ Deæ vehiculo, identidemque trahunt & currum Solis, atque tam varie à veteribus tradita, ad unum eundemque demum intellectum tendunt. Demum hæc duplex in Leone natura, qua quidem anterioribus partibus cœlestia refert, posterioribus vero terram, quaestionem illam facile potest solvere, qua nonnulli mirantur, cur Leonis effigies in Divinis nostrorum literis modo Christo, modo Dæmoni attribuat: pro Christo quippe apud Prophetas non semel positus, ut supra diximus: pro maligno vero, Petrus epistola prima rugientem Leonem dixit: & David: *Libera à Leonibus animam meam*, clamat. Quibus responsum facio, anteriora, quæ sunt Leonis, fortitudinis, & regæ virtutis habere significatum, atque ita pro Christo poni. Nam Irenæus ubi mysterium Dei in rebus strenue gerendis, in dominando, in regendo vim & auctoritatem ostendi disputat, Leonis imaginem ait id præmonstrasse, quæ uni ex quatuor Evangelistis fuerit attributa: inferiora autem, partem quippe terream, fugacitatis & insidiarum.

C Caudam enim subter uterum cum fugit, subjicit, cauda ferit ex obliquo per insidias quæ omnia dæmonem exscribunt, quo nihil à bono fugacius, nihil in mortales insidiosius.

CHRISTUS HOMO DEUS. CAP. XXVIII.

D Enique, ut etiam aliter philosophemur, cœlestis est anteriore parte Leo: ideo admiranda Christi opera veram nobis ante oculos proponunt divinitatem, *Nemo enim, qui à Deo non sit*, ait Nicodemus, *opera ea facere possis, quæ ipse faciebat.* Posteriore terram sapere videtur: ea frigida est, inde ad minima quædam, Galli quippe cantum, prætentam faciem, objectum levis amictus, quin ad

c *A Plinio  
lib. 8. c. 35*

Simiam, & ilicis folia, atque etiam scillæ, Leo timidus est & ad fugam promptissimus. Et humanus Christus mortem timet, perpetuæ non ignarus, quæ statim subsecutura esset, immortalitatis; effugere cruciatum tentat, patremque orat, ut acerbissimus à se calix auferatur: & inde ita debilitatus, ut præ trepidatione genibus insistere non posset. Quod si utraque natura in Christo est, Leo cum sit ejusmodi, recte in Divinis literis modo Deo, modo mortalibus accommodatur.



JUSTITIA CULTUS. CAP. XXX.

E A vero præcipue de causa eorum sententiam approbarim, qui ferociores quoque animos iustitiæ sese subjicere per hieroglyphicum hujusmodi arbitrantur, quia nuper in Gavartiano agri Bellunensis vico suburbano reperti sunt magno numero numi, ab quorum una facie mulier corona insignis longaque

induta